

A Kgl. S.

19

APHORISMI PHILOSOPHICI,
DE
GLORIA DEI
EX
JUSTA CONSIDERATIONE
FERTILITATIS TERRÆ,

*Qvos,
Suffrag. Ampliss. Facult. Philosoph. in Reg. Aboensi Academia,
PRÆSIDE*


**CAROLO FRID.
MENNANDER,**

*Scient. Nat. PROFESSORE Reg. & Ordin.
pro solitis in Philosophia honoribus,
Publico examini offert*

DANIEL HALLMAN, *Zach. Filius,
Sveogothorum NERICIUS.*

*Die XIII. Apr. Anni MDCCXLVIII.
Loco horisque consuetis.*

ABOÆ, Excid. JOH. KAMPE, Reg. Acad. Typ.



APHORISMUS. I.

Gloria Dei est admiranda Ejus maiestas, rebus, actionibus judiciisqve qvocunque modo expressa. Perfectiones, qvibus gradu incomparabili gaudet Summum Numen, in eo amice conspirant, omnes, ut majestatem Ejus absolvant. Hinc colligimus, qvod, qvo plures ratiociniorum ope detegere possumus hujus supremi Entis perfectiones, eo propius ad majestatis Ejus prorsus admirandæ cognitionem perveniamus.

APHOR. II.

Justum, sensu rigoroso, omne id, qvod in relatione ad legem ei conveniens est, dici solet. Legi cuique hominum inditæ nihil magis congruum atque communa, qvam Deum aliquem agnoscere. Sed ut ad veram Dei cognitionem perveniant humunciones, in primis discipiendum est, qvid de Deo, quem ex sui, & universi creatione, qilibet potest cognoscere, ratio percipiat. Ea enim, qvæ ex contemplatione eorum, qvibus se manifestavit Deus, colliguntur, tutissima atque clarissima sunt argumenta ad demonstrandam & omnino evincendam existentiam, & plurima Summi Numinis attributa. Hinc facile est intellectu, qvid per justam considerationem intellectum volo, nempe: ejusmodi contemplationem rerum creatarum, qvæ nos non tantum in cognitionem Conditoris existentia, sed etiam Ejus

³
Ejus, qvotqvot investigare potest ratio, attributorum atqve perfectionum, deducere queat; qvæque viva est, ut animum in cultum Numinis abripiat.

APHOR. III.

Affectio terræ, qvæ satione unius grani e sinu suo multiplicem ejusdem generis edit fructum, ejus vocatur fertilitas. Semina itaqve sive sponte, sive hominum industria & labore, sive alio qvocunqve modo, terræ commissa fuerint, tandem tamen terræ prorsus admirabilem percipiunt affectionem; crescunt, augeantur, florescunt & fructus proferunt.

APHOR. IV.

OStendunt experimenta Külbeliana, solum fertile illud esse, qvod justam terræ subtilis, ungvinosæ & aqua solubilis portionem, portiuncula salis mixtam, possidet, unde suces vegetabilium nutritius componitur. Possunt vero & loca sterilia adminiculis variis ad felicem vegetabilium proventum emendari.

APHOR. V.

Dilm alicubi terra segeti minus est idonea, compensatur is defectus haud raro subterranea fertilitate, de qua scite Xenophon, de Atheniensum argentiis metallis loqvens: *Est terra, in qua si sementem feceris, non fundit fruges; si vero eam fuderis, multo plures alit, quam si fruges ferret.*

APHOR. VI.

INITIUM, continuatio atqve maturitas plantarum, terræ radicibus suis infixarum, non adeo terræ adscribenda, qvæsi sola ageret terra hoc præstantissimum opus; sed ad hoc sol, atmosphæra, nubes, pluviae, ventus &c. adeo amice concurrunt, ut prorsus admiranda sit

sit eorum vicissitudo atque cooperatio in his, quæ ex gremio terræ exsurgunt, vegetabilibus perficiendis.

APHOR. VII.

SOL radiis suis, directis, vel obliquis, in terram desparsis, vehementiorem vel debiliorem efficit calorem. Ne vero æstu solis prorsus exsiccantur plantæ, prohibet atmosphæra nubibus impleta. Nubes in primis vegetabilibus refrigerationem præstant, pluviae ea humore profundunt, ventus flatu suo eorum motui & propulsioni luci vitalis inserviunt. Ne plures ad fertilitatem terræ enumerem caussas concurrentes.

APHOR. VIII.

Licet jam ita sit, ut omnes hæ caussæ, superius indicatæ, ad fertilitatem conferant; recte tamen fertilitas terræ vocatur, utpote e cuius gremio omnia germinant, & ad eujus superficiem reliquæ, quotquot concurrunt, caussæ, sese accommodent & applicent, necessum est.

APHOR. IX.

Fertilitatem terræ si contemplationi mentis & oculorum subjiciamus, tanta sese offert multitudo objectorum, ut alibi vix reperiatur major. Hæc varia plantarum genera, species plurimas & innumera individua nobis præbet, quæ, quotquot sunt, in nostram verti possunt utilitatem. Alia ad domicilia, alia ad sustentationem, ad defensionem alia, alia ad vestitum, ad medicinam alia sunt omnino necessaria. Hæc amoenitatem ubique locorum nobis exhibet aspectu jucundissimam. Hæc savitatis odorum, quos fundunt flores, mater est. Paucis ut multa comprehendam: fertilitas terræ tantum ad Oeconomiam animalem conduit, ut, illa remota, plane miserabilis, imo prorsus impossibilis esset animalium vita.

APH. X.

APHOR. X.

EO vero magis stupenda redditur hæc terræ fertilitas, dum simul cogitatur, tot specie & qualitatibus differentes plantas plantarumque partes glebæ nigrae & communi alimento originem debere; non exhaudiri vires naturæ, sed per orbis durationem immotam persistere fertilitatem; eam denique esse climati accommodatam, ut producat ubique tellus tales plantas, quæ incolis sunt convenientissimæ, ita ut inter regionis cujusque plantas, & reliquias circumstantias, sit aptissima harmonia.

APHOR. XI.

CRediderunt viri nonnulli eruditæ, pestem & bellum esse necessaria, imo debere quovis ad minimum seculo evenire, ne nimium nimirum ninius multiplicetur genus humanum, & ut eidem alimentorum copia suppetat. Nos in illa re judicium suspendimus, cum instituti hactenus hominum, una viventium, census, & natorum ad demortuos relationes, sint imperfectæ, partiales & hypothesis superstructæ. Id autem non veremur contendere, ad minimum quadruplo plures homines, quam nunc sunt, akere posse globum nostrum, adeoque ad impediendam nimiam genitæ humani multiplicationem per aliquot certæ secula non esse hæc flagella iræ divinæ necessaria, quæ, ut pœnæ sint immorigerorum civium suorum, Justitia suprema vel immittere vel permittere solet.

APHOR. XII.

COntendit Petr. Krezchmer in Oecon. Versl. lage, pag. 71. & calculo ostendere conatur, pallerem unum quotannis prelio plusquam IV. thal. Joach. visitare. Ita ne regis quidem redditus ulli huic avium speciei

specie sustinendæ sufficerent. Qvæ quantula, qvæso, portio est integri regni animalis? qvod abunde & largiter sustentat terræ fœcunditas.

APHOR. XIII.

NE vero una species alteri alimentum præiperet, certa euilibet assignata sunt escarum genera. Vel si iisdem vicitaverint herbis, residuum faciunt aliis nutrimenti partem. Ita ubi boves pascua habuere, relinqunt eqvis cibum, & hi ovibus. Remanet vero insuper avibus & insectis sua portio.

APHOR. XIV.

QUOD omnia illa, qvæ ad terræ fertilitatem concurrunt, suas habeant caussas physicas per nexus rerum, dubio caret omni. Sed ut hæc a caussis physicis per nexus rerum, ita harum existentia & essentia caussa & ratio ultimato qværenda est in Ente uno absolute necessario, æterno, independente, infinito, immutabili, simplicissimo, qvod Dei nomine veneramur; nisi qvis absurdam & multis dudum argumentis explosam sententiam de progressu in infinitum stolidè amplectetur.

APHOR. XV.

POstquam invenit ratio, qvod, justa adhibita attentio. ne & meditatione, facilis fit negotio: Deum esse Auctorem hujus universi, & consequenter fertilitatis, tunc non procul abest, qm inus eodem negotio percipiat, qvod Deus sit sapiens, bonus, omnipotens, justus.

APHOR. XVI.

Deus, qvi Auctor jure censetur omnium, ita nexus rerum & caussarum fertilitatis terræ ordinavit, ut media sint convenientissima, finem, quem sibi

sibi proposuit, obtinendi. Qui vero pollet scientia finis & media subordinandi est sapiens. Ergo ratio, his consideratis, infert. Deus est sapientissimus.

APHOR. XVII.

Bonitas est promptitudo aliis perfectiones conferendi. Summa illa est, dum tantum boni aliis communicatur, quantum possibile est. Per fertilitatem terræ ejus incolis Summum Numen, ut comode vivere possent, prospexit, quippe per illam omnia necessaria illis paravit. Deum itaque esse summe bonum, nemo ibit inficias.

APHOR. XVIII.

Deus, ut in antecedentibus dictum est, terræ fertilitatem, omniaque ad eam conducentia, ad existentiam perduxit. Hoc vero præstantissimum opus vires longe superat finitas; & summam reqvirit potentiam. Habet itaque in his homo speculum divinæ omnipotentiaz.

APHOR. XIX.

Pari modo etiam hinc elici potest, Deum esse liberum, justum & omnipræsentem. Liberinus est, cum ex pluribus nexibus possibilibus pro sancto arbitrio præsentem elegerit. Justus, cum cuilibet regioni, cuilibet animalium speciei per fertilitatem terræ pro rata prospexerit. Cumque omnia ubique sustentet, foveat, gubernet, idem omnipræsens est.

APHOR. XX.

Quoniam itaque ex justa consideratione fertilitatis terræ tot tantaque fluunt hominis commoda, ut scilicet inde veri Dei existentiam, plurimaque ejus attributa detegere possit; ideoque admodum necessaria
judica-

judicatur hujus rei consideratio; imo ita, ut qui
hanc & huic similes alias ex rerum natura deductas
contemplationes neglexerit, Deum non possit non of-
fendere, & impunis non evadat.

APHOR. XXI.

Hec omnia, quæ antea dicta sunt, rite perpen-
dens, ab atheismi labore non solum est immunis,
sed etiam in admirationem & cultum summi Crea-
toris, qui in his, quæ quotidie oculis nostris obvia sunt,
objectis, gloriam suam quam maxime manifestavit,
non potest non rapi.

APHOR. XXII.

Motiva, quæ ad gloriam Dei illustrandam ducunt,
quisque mortalium acquirere tenetur. Propius
& fortius terra ipsa ejusque fructibus vix nobis hujus
rei est motivum, utpote ubi paratam nobis quotidie
mensam, & penitus ditissimum omnibus usibus nostris
reperimus. Provide itaque cavendum, ne, ut pedibus
calcatur terra, ita etiam in mente despacta habeatur,
sed consideranda est ut scala, cuius ope ad cœlos cœ-
lorumque dominum adscendamus.

שׁוֹחֵן לְאָרֶץ וּלְהַמִּזְבֵּחַ

S. D. G.

